



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quomodò oporteat nomen Dei in se sanctum, in nobis etiam sanctificari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

dis me, etiam audis dilectum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum: quod si me non audis, nec exaudis filium tuum. Sic enim i. Ioan. 5. dicit Apostolus de tali oratione, Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quodcunque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. & quoniam scimus quod nos audit, ideò etiam scimus quod hoc impetrabimus quod petierimus. Et quoniam Deus nobis pater factus est propter mortem filij, ideò anima turbata non desperare, sed consolari se debet. Ipse pater Deus curam nostram plus habet & diligentius, quam ullus pater terrenus, sicut patet Matth. 7. Quis vestrum si filius eius petierit panem, illi lapidem daturus est &c. & addit: quanto magis pater vester qui est in caelis, dabit bona si postulaueritis ab eo?

## DE SANCTIFICATIONE

nominis sui.

## CAPVT XXVI.

## ARGVMENTA.

1. *Quomodo oporteat nomen Dei in se sanctum, in nobis etiam sanctificari.*
2. *In quibus rebus dehonatur nomen Dei.*
3. *Quod sit premium pie, & quod male tractatum nomen DEI.*

**N**omen Dei in se sanctum est. Sic enim inquit propheta Psal. 53. Confitebor nomini tuo Domine, quoniam sanctum est, & Psal. 110. sanctum & terribile nomen eius. Luc. 1. Et sanctum nomen eius. Hoc nomen in æternum sanctum erit, & non potest a nobis nec magis nec minus sanctificari in se. In nobis autem vt sanctificetur, docuit Christus vt petamus. Matt. 6. Primò scilicet, vt nos sanctificet nomen

men

men Dei, in quod credimus, Nam fides nominis Dei nos sanctificat, 1. Corinth. 6. nunc abluti & sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi. Quando igitur Deus dat donum fidei, hac etiam fide nos sanctificat. Sic Paulus omnes fideles vocat sanctos in exordijs epistolarum suarum. Hæc est quoque ultima petitio, quam fecit Christus ad patrem antè captiuitatem, vt Deus nos dignetur sanctificare fide & agnitione nominis sui, inquit Ioan. 17. Sanctificos in veritate. Sermo tuus veritas est. Et iterum. Hæc est vita æterna, vt cognoscant &c. Tunc ergo nomen Dei in nobis sanctificatur, quandò à Deo datur, vt verè ipsum agnoscamus, atq; recto cultu colamus. Nisi enim non fides nominis Dei sanctificauerit, animales permanebimus & filij damnationis. Deinde nomen Dei, quod nos per fidem iustificauit & sanctificauit, à nobis sic sanctificatur, quandò soli Deo tribuimus omnem iustitiam, sapientiam & bonitatem, & dicimus cum Propheta Psalm. 113. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. & Daniel 9. Nobis confusio, tibi autè gloria. Sumus enim omnes peccatores, & egemus gloria Dei, Rō. 3. Soli itaq; nomē Dei sanctū est. Qui ergo seipos iustificat, sanctificat, & iactant suam propriam iustitiam & sapientiam, illi nomen Dei non sanctificant: & hoc quidem naturæ difficile est, & quasi contrarium, tribuere soli Deo in operib. sapientiam, iustitiā ac gloriam, & sibi penitus nihil retinere. Voluit Adā in Paradiso esse æqualis Deo, nec dare soli Deo gloriam Gen. 3. hoc voluit & lucifer Esa. 54. & hodiè cū ipso omnes mundi homines. Nā nisi Spiritus S. mortificauerit affectū naturæ hominis, non poterit soli Deo in omnib. gloriam dare. Sic Christus Ioan. 8. respondit Iudeis: Ego gloriam meam non quæro. ergo nemo suam gloriam quærere debet, nec de virtutibus, fide & charitate atque iustitia operum gloriari ac præsumere, quia

hæc

hæc omnia dona Dei sunt: igitur qui gloriatur, in Domino gloriatur, 1. Corinth. 1. Hierem. 9. Hæc est maxima virtutum vna, non querere propriam gloriam, sed solius Dei nomen sanctificare, atque illi honorem ascribere in omnibus rebus & factis. Sic enim à nobis nomen sanctificatur Dei, & hoc Deo placet, qui humilibus dat gratiam, & superbis resistit, Iacob. 1. ad illos inquit: Amice ascende superius. Postremo, nomen Dei à nobis sanctificatur, quando ipsum nomen Dei nobis preciosum est atq; sanctum, ne illoriamur in rebus non sanctis, sed potius in peccatis, quam in rebus salutaribus, quod fit peiurando, conuiciando, maledicendo &c. aut quando in rebus leuibus vitimur nomine Dei sine vlla reuerentia, timore aut honore, id quod vix vnus seruat, & ij faciunt contra præceptum secundum primam tabulam, Non assumes nomen Dei tui in vanum &c. Vt igitur diabolus nos non impellat ad varia illa flagitia, rogandus est Deus vt nobis donet quatenus nomen suum nobis sanctum sit, quod super nos est inuocatum & super alias res sanctificatas per nomen Dei.

Secundo, conqueritur Dominus per Prophetam 2. Esai. 52. inquit: Iugiter & tota die nomen meum blasphematur, id est, peruersi fideles qui confitentur se non nosse Deum, attamen factis negant, ad Titum faciunt vt Deus blasphemetur ab infidelibus & gentibus, quæ sic dicunt: Illène Deus est, qui habet tam pessimè viuentes, & enormia facinora perpetrantes, pro suis cultoribus & adoratoribus? quomodo potest esse verus eorum Deus, cum tales permittat viuere? Qui igitur se inquinant periurio, adulterio, superbia, blasphemia &c. illi Deum inhonorant, & sunt illi scandalum, quia eum non timent, nec reputant pro Deo vero, & faciunt malo suo exemplo, vt etiam à gentibus nomen Dei blasphemetur. Vnde dicit per Prophetam Malach. 1. Si ergo pater ego sum, vbi est